IOHANNES WERD

Österreich (Wien), 1496 Seite 157v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=7271
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

LXIII

De malo culpe

Ad 4m concedit maior. Et ad minorem dico quod inter quelibet duo instantia temporis nostri scilicet continui cadit tempus medium sed non est sic de instantibus angelorum que possunt se sequi immediate quia ibi tempus accipitur secundum successionem operationum et affectionum. Unde penes primam operationem accipitur primum instans et penes 2am 2m etc.

Dubitatur. Ex quo omnes angeli meruerunt in primo instanti creationis quare non fuerunt premiati in suo primo instanti. Dico quod prima causa est quia in eodem instanti non potuit esse actus meritorius et actus beatificus sicut nec gratia perfecta et imperfecta. Secunda ratio quia conveniens fuit quod angeli relinquerentur in manu pleni consilii et quod essent in via. Et quod facerent id quod possent et quod non solum starent sub manu dei creantis sed etiam conservantis ut videretur quid essent facturi et ideo non fuit in primo instanti sed in 2o ut exinde meritum eis plenius tribueretur. Si enim non fuissent relicti nisi in primo instanti et non in 2o tunc non fuissent sub manu proprii consilii. Unde relicti sunt in instanti 2o in manu consilii sui et tunc quidam peccaverunt aliis perseverantibus.

Dubitatur. Utrum in illo priori in quo isti prestiterunt impedimentum beatitudinis beati meruerint vel ut fuerint beati tunc. Et est contra dictum inter thomistas. Si enim ponimus quod fuerunt beati tunc fuerunt in termino et sic alii fuerunt adhuc viatores. Dico quod in illo priori in quo isti impedimentum prestiterunt merito alii nondum erant beati sed continuaverunt meritum suum.

Dubitatur. Utrum inter instantia creationis et lapsum fuit instans medium. Dico quod instans in proposito debet accipi penes successionem operationum in compositum. Unde in primo instanti sue creationis omnes meruerunt. Et in 2o instanti hoc est in operatione in compositum cum primam peccaverunt. Et ita non fuit instans inter lapsum et creationem. Nam in primo instanti creationis meruerunt usque ad lapsum.

Dubitatur. Utrum fuit instans inter creationem bonorum angelorum et beatitudinem. Et arguitur quod quia concessum est quod meruerunt in primo instanti et etiam in 2o meruerunt cum aliis demerebantur etc. Videtur quod oporteat ponere tria instantia 3m pro eo quod beati sunt effecti. Sed dico quod etiam in 2o instanti quo alii demeruerunt in eodem etiam beati meruerunt etc.

Instans in proposito quod



capto penes instans malorum angelorum sed non penes instans bonorum angelorum. Nam illa operatio meritoria que fuit in primo instanti creationis fuit eadem met numero quia continua fuit usque ad primum. Unde id est equipollet duobus instantibus malorum angelorum. Unde dico etsi inter instans creationis bonorum angelorum et beatitudinem fuit aliquod instans medium captum in 2o angelorum malorum non tamen 2o beatorum angelorum est accipiendum medium inter creationem et beatitudinem cum illa operatio una numero fuit. Patet ergo quod angelus in primo instanti non potuit peccare non ex conditione sue nature sed in quantum stabat sub influxu dei creantis. Et quod inter instans creationis et lapsum non fuit mora media quia in primo instanti peccaverunt in quo fuerunt de relicti in propriis. Unde statim postquam peccare potuerunt peccaverunt. Et secundum doctrinam d. 6. Sed aliqui ponunt 4or instantia primum quo fuerunt creati in puris naturalibus 2m in quo fuerunt dotati gratia 3m in quo meruerunt vel demeruerunt 4m in quo sunt premia vel penas consecuti sed hec est fantasia.

Dubitatur. Quo actu angeli meruerunt beatitudinem in primo instanti sue creationis. Dico quod omnes meruerunt diligendo et amando deum conversione caritatis impium in quantum est obiectum beatitudinis diligendo ipsum amore caritatis sive amicitie. Aliqui autem in 2o instanti demeruerunt per hoc quod converterunt se in bonum proprium seu naturale absque divina regula. Aut convertendo se in beatitudinem supernaturalem per amorem concupiscentie absque divina regula. Tunc autem quando isti peccaverunt sic volendo sibi beatitudinem supernaturalem boni meruerunt vel continuando suum amorem amicitie aut volendo sibi beatitudinem supernaturalem secundum regulam divine voluntatis. Et propter hoc non oportet ponere tria instantia quia primus amor fuit continuatus quia quando operatio una durat non oportet ponere aliud instans.

VII

Ille angelus qui fuit supremus inter peccantes fuerit supremus inter omnes

Et arguitur quod non. Dicit enim de eo Ezechiel 28 Tu cherubim extentus et protegens posui te in monte sancto dei